SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino


JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem die 24. Augusti 1832.



BENEVENTI MDCCCXXXII.

Apub Petrum Paul. Paternò Typographum Cameralem

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione.

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Unusquisque vestrum, Ven. Sacerdotes, tenet fortasse memoria, cum occasione postremae Synodi allocuti vos fuimus, eo nos spectasse, ut aliquot argumentis probaremus, quam obsit humanae rationi, quod minime a Deo revelatis acquiescat, aut ab illis, quos ipse magistros veritatis atque omnino suorum consiliorum interpretes posuit, sibi adhaerens dissentiat. Alloquturis autem vos nova aliqua oratione ejusdem Synodi causa visum est ad illum scopum reverti, et veritatem propositam magis magisque exemplis illustrare; licet enim sperare, fore ut nostrae aetatis homunciones minus suo judicio tribuant, et facile Ecclesiae docenti cedant, si ex absurdo aliquo, ac monstroso insanientis ingenii partu experiantur, quam lubricae viae illae sint, quas humana ratio ingreditur, quamque ista sit prona ad lapsus, cum quod Jesus Christus patefecit iter, relinquit.

Verum ex tot tantisque hujusmodi monstris, unum, atque ante hanc diem inauditum proferre juvabit: tempus non suppeteret, si vellent cuncta recenseri, quibus plenae sunt bibliothecae, et quod maxime dolet cordi, multorum manus et scrinia. Sat propterea erit commemorare, neo id facimus sine horrore, putidum illud ac deforme commentum, ab impio quodam veluti capite ut ferunt, diffusum; cujus haec videtur esse summa: ponit primum totius humani generis eandem esse conditionem ac singulorum hominum; eaque totam speciem pati ac singula individua: quapropter quamdam in humano genere vitam fingit, eamque variis aetatibus ac gradibus discriminari ait, nullo tamen termine ac fine. Aliquas adhuc exactas esse, alias superesse; atque eo nunc statu genus humanum esse ac homines esse solent, cum adolescentia inclinat. Proh lymphatae mentis deliramentum! Quis est, qui non horreat? Attamen adhuc magis insulsa audienda restant. Ita enim rem explicant: statuit generis humani quamdam infantiam, qua nihil fere rationis viguerit, nulli prope mores, nihil ut ita dicamus, religionis: aliquid deinde idem genus progressum esse eo tempore, quo idolorum cultus viguit: ex hac deinde aetate se iterum expediisse, cum novam Jesu Christi religionem amplexi sunt homines: hanc aetatem nunc senescere, ac prope ejus occasum esse: quamobrem concludunt, conclamatum esse de Christiana Religione, ac vicinum tempus esse quo novi aliquid inveniatur, quod genus humanum jam adultum arripiat, et in quo consistat et aliam aetatem traducat: non enim e re nostra esse, nec genus humanum juvare, ut Deus tamquam purus spiritus hominibus proponatur: hic si excludatur conceptus atque alia forma Deus representetur ex spiritu simul ac materia conglutinatus, fieri, ut communi vi-

tae atque humanae felicitati melius consulatur. Sed deficit animus in aliis ebriae mentis deliriis percurrendis. Nec sane confutatione ea indigent; cum luce clarius pateat, opponi iis omnibus, quae de humano genere, de mundo, de Deo, de Religione adhuc nobis tradita sunt, ac summo Dei beneficio tenemus.

Nugari profecto ac fabulas pueris recitare videntur, qui figmenta illa infinitis erroribus in Fidem, in Religionem et in ipsum Deum referta proferunt; et tamen mirum est audire absurdissima haec commenta diffundi, et sectatores nancisci. Sed videlicet *vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est Sap. cap.* 13. . Vos vero ex hoc statuite, nullam esse regionem, ad quam humana mens non deferatur, cum in turbido, ac procelloso humanae vitae mari divinae auctoritatis ac sapientiae anchora non firmatur. Inducite insuper in animum, quam vos oporteat sectari sanam doctrinam, ut eos, qui contradicunt, arguatis; quam necesse sit omni scientiarum copia abundare ad confringendos pseudophilosophiae subdolas cavillationes; quanti demum intersit, ut Clerus ad Ecclesiae praescripta ac Sacrosancti Evangelii exemplar suos mores componat, ut omnibus virtutibus ceteris facem praeferat; cum ejus vita atque auctoritas, quae ex opinione virtutis existit, magis quam verba ceteros commoveant atque afficiant. Satagant igitur et studeant Ecclesiastici omnes addiscere et servare morum perfectionem ac severiorem disciplinam; et ut ordinationes in superioribus Synodis praescriptas e memoria non effluant, sed prae oculis habeantur, in unum eas redigere ac summatim referre statuimus in hac octava Synodo, quam hac ipsa die 24 Augusti ad Omnipotentis Dei et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae Deiparae,

S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomaei, SS. Pontificum Nostrorum Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum, ceterorumque nostrae Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, ac promulgamus.

TITULUS I.

De Confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Dioecesanas Synodos per nos, et a Praedecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis, et comminatis.

TITULUS II.

De Fide Catholica

Sacrosanctae Mysteriorum fidei, et divinae legis ignorantia funesta et miseranda causa est perditionis plurium Christianorum.

Sine fide enim impossibile est placere Deo, et fides sine operibus mortua est. Quoniam autem ex fide bona pietatis opera emanant, si immota consistat firmitas unitatis; in hoc ideo elaborandum nobis est, assidueque vigilandum, *ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione ad illud diripiendum perdendumque facta* (a) Quare praecipimus,

(a) *Ep. Encyc. S. D. N. Greg. XVI. diei* 15. *curr. mens. aug.*

ut Archipresbyteri, et Rectores animarum nostrae Civitatis, et Archidiaecesis imprimis doceant, *judicium de sana doctrina, atque Ecclesiæ universæ regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui plena pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit* (*a*): deinde assidui, et solliciti sint in tradendo fidei rudimenta pueris, quibus declaratio sermonum Domini dat intellectum. Prae ceteris vero Cardinalis Roberti Bellarmini commendamus methodum, quae Clemente PP. VIII. teste aliis praestat, et ipsa ut omnes Curati in edocendis Christianam Doctrinam parvulis utantur, sanciri duximus.

Nec sufficiat verbi Dei ministris certis diebus exponère pueris addiscenda rudimenta fidei. Hos praeterea invitent, impellant, cogant, et per eorum genitores cogere faciant, ut Sanctae instructioni intersint.

In Sacris insuper concionibus saepius disserant de fidei, et morum doctrina. Exponant justificationes Domini, declarent quaenam sint mysteria fidei explicite credenda *de necessitate medii*, quaenam *de necessitate praecepti*; quaenam natura, et effectus Sacramentorum, ac norma orationis, et efficacia; quaenam Dei, et Ecclesiae mandata; quaenam virtutes, eorumque indoles, et distinctio; quaenam status cujuslibet praecipua officia; quaenam denique bona opera peragenda, per quae certam quisque suam vocationem, et electionem facere potest. Doceant praesertim rudes, facilem non praebere aurem Ecclesiae Catholicae hostibus; libros detestari improbatae lectionis, *e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae* (*b*):

(*a*) cit. Ep.
(*b*) cit. Ep.

scelestissima illorum deliramenta, consiliaque aspernari, *qui projecta, effrenataque procacis libertatis cupiditate æstuantes, toti in eo sunt, ut jura quaeque Principatuum labefactent atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi* (a). Item commendent, ne decipiantur falsa, et inordinata devotione, ne exerceant vanas observantias, sortilegia, superstitionem, ut peccata cognoscant quae a plerisque peccata negantur, et omne malum, omnemque viam iniquam declinent.

Ut Parochi haec omnia adamussim adimpleant, habeant etiam ob oculos veluti hic recensita, quae praescripsimus in titulo II. quartae, quintae, et praeteritae nostrae Synodi.

Assidua Cathechesi Christi Domini doctrinam, et institutionem praedicantes super tecta non solum partes muneris sui explebunt, sed zelo, et novissimis S. R. Majestatis Ferdinandi II., quem Deus semper sospitet, incitamentis morem gerent.

TITULUS III.

De Sacramentis.

Cum maxima, et incomparabilia divinae bonitatis beneficia sint sacramenta, Sancta Mater Ecclesia a suis ministris exquirit non solum, ut doceant fideles quaenam sit eorum vis, et potestas, sed etiam ut ea religiosissime conficiant, et administrent ad perennem, et gratam divini largitoris laudem, et ad certam animarum salutem. Inhaerentes nos hujusmodi sanctissimis consiliis, et expectationi, ante alia praecipimus, ut ritus ab Ecclesia circa sacramenta praescripti diligentissime exerceantur, quorum etiam studium nemo ex Clero sibi negligere licere existimet.

(*a*) cit. loc.

Mandamus, ut Parochi pueros adultos confirmandos nobis exhibeant, quos bene instructos, et idoneos, prout ex Tit. II. tertiae nostrae Synodi, noverint; itemque, ut circa mores eorum, qui ad ordines promoveri quaerunt, veridicas attestationes mittant.

Caveant, ne Baptismum recenter natis differant, neve domi sollemniter administrent; simulque caveant, ne domi, vel nocturno tempore, vel aliter, quam traditum fuit Tit. IV. ejusdem Synodi nuptiae ante faciem Ecclesiae celebrentur, *probe gnari exitus infelices illa habitura esse conjugia, quæ vel adversus Ecclesiæ disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo æstu libidinis junguntur, quin de Sacramento, ac de mysteriis, quæ illo significantur, ulla teneneat sponsos cogitatio* (a);

Sacerdotes omnes rite, et sancte observent, quae in Tit. III. tertiae nostrae Synodi circa Missae Sacrificium innuimus.

Se abstineant Confessarii ab impartiendo sacramentalis absolutionis beneficio omnibus indignis, et imparatis uti sunt inter alios, qui fidei christianae mysteria ignorant.

Vigilent praecipue Curati, ne infirmi sine ultimis Sacramentis ex hac vita decedant, uti praestituimus in Tit. V. quartae nostrae Synodi.

Haec, et alia per sacros canones, Synodales constitutiones, et Ecclesiae Doctores praescripta ab administratoribus mysteriorum Dei custodiri optamus, et indicimus, ut et ipsi laudabiliter sacramenta conficiant, tractent, atque dispensent, et Populus digne et utiliter percipiat.

(a) *cit. Ep.*

TITULUS IV.

De vita, el honestate Clericorum

Memores praecepti Domini per Sanctuarii Ministros praecipue observandi: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in Coelis est*; omnia novissima, et antiqua circa vitam, et honestatem clericorum per Synodales Constitutiones praescripta ut per nostram Archidioecesim semper vigeant, et diligentissime serventur indicimus, atque mandamus.

Præ ceteris Præsbyteri subjecti sint oportet, Episcopis, quos uti animæ parentes suscipiendos ab ipsis esse monet Hjeronymus (*a*) Item omnes in sortem Domini vocati, memoria, et moribus teneant, quod diximus in Tit. II. primae nostrae Synodi, et tertio secundae, ut sacrae Scripturae, et Theologicorum librorum lectioni assidue vacent: in Tit. VI. ejusdem primae Synodi, et in Tit. V. tertiae, ut a publicis spectaculis, a nimia cum mulieribus familiaritate, et a profano vestium ornatu, nec non se abstineant ab omnibus quae coelibatus conservationi nocere possunt, adeo *ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undiqne sunt intenta, sarctam tectam custodiri, vindicari, defendi ex sacrorum canonum præscripto, omni ope contendamus* (*b*); demum ad normam Tit: IV. praeteritae Synodi, ne laicorum famulatui, ac vilibus negotiationibus, turpibusque exercitiis se immisceant.

(*a*) *Sæpe cit. Ep.*
(*b*) *Ep. Encyc. laud.*

Ut autem nihil praetereamus ex his, quae ad rem pertinent, et nostri sunt muneris constituere, coetera paucis perstringentes hic ducimus subnectendum: Sit noster Clerus, quem Sacerdos magnus Jesus Christus, ejusque Ecclesia desiderant, atque exquirunt; sit non mente solum, sed etiam corpore sanctus, ut ipsa corporis species simulacrum exibeat mentis, et figuram probitatis: sectando munditiam non levem a pompa, et vana specie jejunet, a jactantia declinet, et inverecundia nemini afferat scandalum; numquam in se opprobrium, et contemptum provocet: dum est corde humilis, et animo prudens sit verbis gravis, loquendi parcior, legendi studiosior; orationi deditus, et meditationi, atque animarum saluti intentus; neminem laedat, bene velit omnibus, thesauros thesaurizzet in Coelis, non super terram, ac sua munera universa solertissime praestet.

Cum sancti sunt illi, quos Dominus exaltavit electos de plebe sua, sanctos etiam ceteros fore in Domino confidimus.

TITULUS V.

De Sacrosanctis Ecclesiis

Si singula peccata iram Dei in homines provocant, magis exasperant, quae in Ecclesiis, et contra cultum Ecclesiis debitum patrantur. Ultio Domini, ultio Templi sui est. Ut autem Deus noster mitigans iram, et avertens indignationem suam, divitias bonitatis suae super nos profundat, religiosum timorem erga eum omnium corda foveant oportet, et cum ipso praesertim in sacris aedibus Deus adoretur, et colatur. Haec cum maximi sint momenti, et tamen a multis parvi adhuc pendantur; expedit propterea, et

instantius mandamus, ut Populi magistri, dum ad illum sermonem habent, demonstrent, quam grave peccatum sit offendere Deum in sede majestatis suae; ipsumque persuadeant Ecclesias frequentare, ibique cum timore, et tremore Deum adorare, sacris mysteriis interesse, sacramenta percipere, et sanctorum invocare patrocinium presertim diebus festis.

Pro debita Regi Regum, et Domino Dominantium reverentia, et ad promovendam fidelium devotionem praeditae sint Ecclesiae nostrae omnibus necessariis suppellectilibus, et ornatae, quae integritate, et nitore divinorum mysteriorum digna sint; atque ea linteamina munda etiam, et decora, quae descripsimus in Tit. II. sextae nostrae Synodi, praesto semper in ipsis sint, atque usu adhibeantur.

Demum si Templorum structura alicujus impensae ad conservationem opus habent, curent fieri per quos spectat. Sane non satis laudandus Rex Ferdinandus II. nova dedit mandata Regiis Ministris, ut hi Ecclesias, ubi desunt aedificare faciant, et ubi sunt ac reparatione indigent, non sinant in eodem fatiscenti statu permanere, ut ex litteris diei 2 Junii 1832 patefactis ordinariis locorum per Ministerium, et Regalem Secretariam Status super negotiis Ecclesiasticis.

TITULUS VI.

De censibus, exactionibus, et Procurationibus

Quoniam oportet, ut etiam in iis, quae ad rectam bonorum, et jurium Ecclesiae tutelam pertinent toti simus; eam omnibus clericis Beneficiatis, et locorum piorum Administratoribus enixissime commendantes

praecipimus, ut vigilent, ne quid detrimenti res Ecclesiae patiantur. Curent propterea patrimonium Christi diligenter custodire, et administrare, ac omnem operam, et vires adhibeant, atque sumptus etiam libenter erogent, qui ad ea indemnia conservanda, necessarii, et utiles existimantur: nam qui ea ab injuriis non defendunt, neque tuentur, similes facti sunt illis, qui eorum alienationem sine causa, et debita licentia permittunt.

Nihil in novum contractum redigant, nisi ad tramitem sacrorum canonum, juxta constitutiones Synodales, et ad consilium Sapientum; et pro hypothecis ne omittant praestituta per Tit. VI primae nostrae Synodi.

Asservent etiam in respectivis Archiviis acta, scripturas, privilegia, et omnium innovationum notitias circa bonorum qualitates, et possessores hodiernos, ut illis uti possint in confectione; juxta leges Synodales, novorum inventariorum, quorum Copia in Metropolitano Archivio deponenda semper est.

Praecipimus insuper, ut Procuratores Ecclesiarum Collegiatarum, Conventualium, sive Receptitiarum, Monasteriorum Monialium, et Congregotionum Laicarum administrationis tempore, computa revisoribus subjiciant, et si ea reddita, debitores reperti sint, ad solutionem quanto citius complendam coartentur. Qui negligentes erunt, poenis etiam canonicis puniri, et interim ad confirmationem non admitti mandamus.

Cum prae ceteris nostra intersit, ut protegamus dilectissimae Ecclesiae nostrae Metropolitanae, ejusque Altarium, et Sacristiae dotes constitutas; peculiari modo sollicitamus annuorum Procuratorum diligentiam, ut illarum fructus attente exigant, et defendant; statim apud custodem sacrae capsae depo-

nant, et officio functi administrationis computa subjiciant per nos deputato ad rationalia recognoscenda ejusque absolutionem nostro Capitulo exhibeant: Ipse etiam Custos sacrae capsae singulis annis rationem revisoribus a nobis destinatis pari cura, et fidelitate reddat.

TITULUS VII.

De iis, quæ ad universas constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus, ut suam quisque obligationem agnoscat praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parrochi, Archipresbyteri, et beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam, et honestatem Clericorum pertinet, infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet conferentia casuum conscientiae, et SS. Rituum, legatur et explicetur per Praefectum dictarum Conferentiarum unus saltem titulus tamhujus, quam nostrarum praecedentium Synodorum.

Judices et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes in prœcedentibus Synodis electi, et deputati.

JOANNES BAPTISTA CARDINALIS ARCHIEP.



Paschalis Canonicus Ventura Synod. Secr.